



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXVI. Samson tum in vita tum in morte sua Christi figuram expressit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XXVI.

Samson tum in vita, tum in morte sua  
Christi crucifixi figuram expressit.

*Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dexterâ, & alteram levâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philistiim. Judic. 16. 29.*

I.

**C**ùm Samson mortalium omnium facilè fortissimus in Thamnata, oppidum Philistinorum se aliquando conferret, ut ibidem licet in terra hostili de sponsa sibi provideret, pertransiens vineam, immanem quemdam leonem ex specu erumpentem sibi obvium habuit, qui eum & rugitu & gestu corporis ad singulare provocavit certamen. Quid agit in arena Samson? se resolvit, aut cum hoc sævo leonis catulo generosè congregi, aut in arena mori. Et quid multis? aggreditur hunc ferocissimum hostem suum, licet omninò inermis, & quasi imbellem hœdum in frustra dilacerat: *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quæsi hœdum in frustra discerpens.*

Judic. 14. 5.

Per hunc Samsonem S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius & alii SS. Patrum Christum JESUM & hunc Crucifixum subaudiunt, qui diabolum & principem tenebrarum, qui *tanquam Leo rugiens circumquærens quem devoret*, in cruce superavit, atque discerpit, dum morte suâ devicit mortem, peccatum, dæmonem & gehennam.

I. Epist. Petr. 5. 8.

2. De eodem Samsonem refert Scriptura, quod Dalilam gentilem, vafram, perfidam & inconstantem mulierculam vehementissimo amore persecutus sit, cujus amore inescatus ad patrem dixit: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Et licet hæc Dalila heroi tam forti fuerit causa mortis, nihiloscilicet eam tenerè amavit.

Judic. 14. 3.

En genuinum typum crucifixi Amatoris tui, qui propter animam tuam, quam in charitate perpetua dilexit, non dumtaxat cœlum sinum-

sinumque Patris dimisit, sed & in cruce extrema, ipsamque mortera pro tua salute perpeffus est: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. 20. Samsoni nonnemo Academicorum Dalilam suam perditè amanti prolemmate inscripsit: *Amando pereo;* hoc anima Christiana, longè meliori jure & titulo Amori tuo crucifixo JESU pro epigraphe poteris inscribere: *Amando pereo.*

3. Samson, ubi à Philistæis inimicis capitalissimis ligatus, illusus, irrisus & oculis privatus fuit, demum vincus catenis in Gazam ductus est, ubi clausus in carcere, velut jumentum, diù gravissimam molam traxit. Accidit, ut successu temporis crines & vires illi recreferent, unde à Philistæis in templum Dagon deductus est, ut coram Gentilium multitudinem non tam luderet, quàm & ab illis illuderetur. Verùm Samson duas domùs columnas, quibus tota fabrica & pondus innitebatur, ambabus manibus fortiter apprehendens, tamforti nisu in modum crucis eas concussit, ut facili conatu domum universam dejiceret, & omnes tunc ibidem præsentès Philistæos interficeret, cum quibus & ipse moriens exclamavit: *Moriatur anima mea cum Philistiim: concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes & cateram multitudinem, quæ ibi erat; multoque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Cui pro lemmate inscribo: *Moriendo triumphat.* Judic. 16. 29.

En hic iterum perelegantem typum in Christo crucem bajulante, & in ea moriente adimpletum: *Samson*, ait hic Cornelius, *typus fuit Christi, manus extendentis ad duo crucis extrema, quibus collisit & oppressit demones, peccatum & gehennam, qui moriens cum Samstone plures, quàm vivus interfecit, & sua morte mortem omnium superavit, vitamque æternam nobis reconciliavit.* Cornel. hic.

4. Videamus nunc, Lector prudens, mirabilem Samsonem inter & Christum crucifixum analogiam. 1. Samson unicâ asini maxillâ mille viros solus subegit: *Inventamque maxillam, id est mandibulam asini, quæ jacebat, arripens, interfecit in ea mille viros.* Christus non ferro, sed ligno, vilissimo instrumento, domuit, & subegit sibi orbem universum. 2. Samson post cruentum agonem & prælium cum Philistæis peractum sitiens, de dente molari asini aquam sufficientem impetravit: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus hausis refocillavit spiritum.* Christus in cruce in cruento illo agone sitiens, felle & aceto potatus est: *Cum ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est.* Judic. 15. 18. Jo. 19. 30. 3. Samson in faucibus occisi Leonis favum mellis invenit, de quo & aliis distribuit. Christus se ipsum in SS. Eucharistia in cibum nobis reliquit. Dic modò, quid fortius hoc Leone, & quid dulcius hoc melle? 4. Samson ab inimicis irrisus, illusus & *Ginther Unus pro omnibus.* N mille

Matth. 27.  
40.

Jud. 6. 26. 3.

Psal. 106. 16.

S. Gregor.  
Homil. 21. in  
Evang.

In vita S. Jo.  
Chryf. apud  
Suriun  
tom. 1.  
Item Dauroul.  
cap. 1. tit. 3.  
n. 2.

mille gannitibus expositus fuit: Christo in cruce pendentī similiter il-  
ludebant Judæi: *Vah, qui destruis templum Dei?* 5. Samson, quia Naza-  
ræus fuit, totum robur in septem crinibus capitis sui, seu in septem  
floccis & cicinnis capillorum habuit. Christus universorum caput, in  
suo capite spinis coronato septem peccata mortalia, imò peccata to-  
tius mundi portavit, quid gravius? 6. Samson denique circa medium  
noctis ferreas portas cum fera & postibus confregit, & in altum mon-  
tem asportavit: *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: Et inde  
consurgens, apprehendit ambas porta fores cum postibus suis & fera, impostasque  
bumeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Christus cruci-  
fixus de morte & inferno triumphator post medium noctis inferni por-  
tas areas contrivit, & vèles ferreas confregit, de quo loco captivum Pa-  
trum senatum liberavit, & ad colles æternales traduxit: *Quem, inquit  
D. Gregorius, Samson ille significat, nisi Redemptorem? Quid Gaza civitas,  
nisi infernum designat? Quid per Philistaos, nisi Judaorum perfidia demonstratur?  
Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulchro jam positum,  
custodes illud deputarunt, & eum, qui auctor vita claruerat, in inferni claustris  
retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse latari sunt. Samson vero me-  
dia nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster  
ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed & ipsa etiam inferni  
claustra destruxit, portas tulit, & montis verticem subiit &c.* Hucusque S. Gre-  
gorius de Samfone & Christo victore.

5. Audiamus historiam notatu dignam. Non procul ab urbe  
Alexandrina immanis quidam ac truculentus Leo tempore S. Chry-  
sostomi in campo versabatur, qui agricolis & illius loci incolis maxi-  
ma quotidie damna intulit, dum & homines & pecora sine discrimine  
dilaceravit. Nullum tunc temporis intervallo aderat remedium, quo  
hic publicus viarum latro è medio tolleretur. Instituitur publica ve-  
natio, adest numerosa hominum caterva, tenduntur retia, parantur  
enses & hastæ, sed frustra omnia, leo enim insolitæ magnitudinis ac  
ferocitatis plures horrendo suo rugitu in fugam convertit, alios un-  
guibus discerpsit, alios devoravit, aut alio modo miserabiles reddidit.  
Denique cum omnia incassum adhiberentur, & loci incolæ jam jam  
abitu è regione sua pararent, aderat ex insperato S. Chrysofomus,  
à quo hoc acceperunt consilium, ut crucem in iis locis, ubi leo tran-  
sire consueverat, erigerent, & Crucifixi Domini implorarent opem  
ac gratiam, ut huic malo finem faceret. Et ecce mirandam salutiferæ  
crucis virtutem; altero die hanc immanem belluam alias inexpugna-  
bilem ad basin ejusdem S. Crucis invenerunt mortuam & divinâ vir-  
tute extinctam.

6. O anima Christiana! vides hic iterum, quantæ virtutis sit invictissimum crucis trophæum contra omnes tuos, tum animæ, tum corporis adversarios, ac præsertim contra leonem infernalem, animæ tuæ diu, noctûque insidiantem: *Mibi credite fratres, solebat dicere S. Brev. Rom. Antonius, pertimescit fatanas maxime ardentem amorem in Christum Domini- 17. Jan. nam, cujus unico sanctissima crucis signo debilitatus aufugit.*

Disce ergo ex hoc, si tentatio gravis, quasi leo Samsonis, contra te insurgit, ut sine mora confugas ad Christum JESUM Crucifixum: Hunc, inquam, invoca, illius auxilium implora, & animosè tartareo leoni ejusque insultibus occurre: Dic citò, si carnalis cogitatio & turpis phantasia mentem tuam occupat: *O crux benigna, inter ligna, tu me consigna †, ne peream morte maligna;* Et experieris in tempore præsentissimum auxilium; Sic fiet, ut dæmon, qui priùs insuperabilis tibi leo videbatur: nunc debilis formica inveniatur.

7. De Hercule fama est, quòd cruentissima quæque monstra debellaverit, qui in tam periculosis duellis non alio instrumento contra centauros, Lernæas Hydras & infernalem Cerberum septem horrendis capitibus formidabilem usus est, quàm clavâ suâ nodosâ, ferreis undique clavis onustâ, quo ponderoso & ferrato stipite omnia illa monstra feliciter superavit, & ad interitum delevit.

Clava hæc Herculeâ SS. Crucem Dominicam denotat, per quam verus Orci Domitor Christus crucifixus dæmonem & septigeminum Cerberum, hoc est septem peccata mortalia feliciter edomuit, & debellavit; Idcirco hæc clava S. Crucis à S. Martiale D. Petri discipulo *S. Martial. ep. 1. cap. 5.* appellata est: *Armatura invicta contra Satanam;* Et S. Chryostomus: *Ubi- S. Chryost. de laude crucis.* cumque, inquit, *dæmones signum crucis Dominicæ viderint, fugiunt, tanquam canes timentes baculum, quo plagam acceperunt.*



N 2

CON-